

nores ejusdem coloris. *Pinnae* omnes cinnabrii coloris, in extremis oris lineam albissimam habentes, atque eam fimbriam latam nigerrimam. Postbranchiales pinnae totaliter cinnabriae sunt sine fimbria nigra aut alba. Dorsalis pinnae medietas anterior tota rubra, reliqua fimbriata albo et nigro ut reliquae. Optimis saporis carnem habet si coquatur.

CEIX VPIRA, acquirit interdum longitudinem novem ac decem pedum, atque crassitatem corporis humani, corpore oblongo et capite atque figura corporis Tuberoni haud absimilis. Quem describo tantum duos pedes erat longus cum semisse. Erat illi *caput* compressum et latum, septem digitos longum et fere quinque latum: *Os* haud inamplum pro mole corporis, parabolicae figurae, edentulum, prominentiis tamen acutissimis confertim repletum: lingua lata: oculi albi haud magni, paulo maiores duplo stufero Hollandico, pupilla crystallina. *Branchias* habet satis amplas: *Pinnae* septem, nimirum post quamlibet branchiam unam, directe a latere protensa triangularem, semipedem longam, duos et semis digitos latam, ubi latissima. Interstitio fere sex et semis digitorum ab occipito in medio dorso incipit pinna quatuordecim digitos longa, in initio triangularis, et quatuor digitos alta, hinc sensim minuitur, et ad caudam ferme pertingit, ibique triangulo desinit. Huic opposita est ejusdem figurae una in infimo ventre, undecim digitos longa, desinens cum superiore, sed non cum illa incipiens. Infra duas postbranchiales in infimo ventre duas habet junctas, quamlibet tres et semis digitos longam et sesquidigitum latam. Septima pinna est cauda, incipiens duorum digitorum interstitio a fine dorsalis et ventris, bicornis, superius cornu fere octo digitos longum, inferius paulo brevius, nimirum septem digitorum. Pinnae omnes anterius spinas habent, sed molles. In intersti-

tio inter occiput et dorsalem pinnam, octo osseos triangulares aculeos prominentes obtinet, quos recondere in carne et erigere potest, ac pro armis usurpare. Ante quemlibet oculum, intervallo unius digiti foraminulum habet duplex. *Caput* osseum et glabrum. Totum corpus exiguis squammulis vestitur, ita ut totus pisces glaber videatur. Colore totus est niger, excepto tamen ventre, qui albissimus instar cretae; in lateribus (inter album et nigrum) paululum canescit nigredo, caetera, ut dictum, nigerrima. *Pinnae* omnes nigrae, exceptis duobus infra post branchiales in infimo ventre quae albae sunt, oris nigricantibus. In utroque latere pisces linea quaedam profundior reliquis squammulis tendit ad caudam usque; ejusdem cum corpore coloris.

Pisces gravis ac pinguis est, ac pro optimo habetur inter omnes in Brasilia, praesertim quando adhuc mediocris est magnitudinis. Capitur in Mari.

PIQUITINGA est duos, aut paulo *Idem l. 4.* plus digitos longus, figurae paene ut *c. 10.* Piabucu, a quo non multum differt, ut dicam. *Os* habet parvulum, sed quod ample aperire et rotundare potest: *Oculos* satis magnos, nigros, circulo argenteo: branchias amplas: pinnas sex et septimam pro cauda: nimirum duas postbranchiales, triangulas, inferius positas: duas junctas in medio infimo ventre: unam triangularem in medio dorso, unam post anum: cauda constat pinna furcata. Color capitatis argenteus splendens, superius olivaceo imbutus. Tegitur squammulis albis, in dorso tamen olivaceus color translucet. Pinnae omnes albae. Differt a *Piabucu*, quod ille paulo major evadat, et linea illius lata non splendet, cum reliquum corpus splendet, quod in hoc contrario se habet. *Piabucu* etiam pinnam habet in dorso prope caudam, qua hic caret. Caetrum caro similis, edulis.

CAPVT IX.

De Camuri, Guaracapema et Miivipera.

TAB.
XXXIII.
Idem l. 4.
c. 10. et 11.

CAMURI Lusitanis Robalo, pisces est figura corporis similis atque etiam duos pedes longus. Lupo nostro ore, crassus plus uno pede, ubi crassissimus: